

dinem in regiam urbem apud piissimos principes, significans de ordinatione sua. Et dum suscepti essent renovantes privilegia Ecclesiae reversi sunt, quorum [Al. add. principum] clementia (a) per eosdem missos direxerat beato Petro apostolo, et Evangelia aurea cum gemmis albis mira magnitudinis in circuitu ornatus [Al., ornata]. Illic regulam ecclesiasticam, atque vigorem, ut mos erat, omnimodo conservavit (b) Iulius temporibus venit Constantinus Augustus de regia urbe per littoraria in Athenas, et exinde Tarentum, inde Beneventum et Neapolim per inductionem 6. Postmodum venit Romam, id est, die 5 mensis Juli, seria 4, in inductione suprascripta, et (c) occurrit el obviam apostolicus cum clero suo milliario sexto [Cod. Luc., v] ab urbe Roma, et suscepit eum. Et ipsa die ambulavit imperator ad sanctum Petrum ad orationem, et donum ibi obtulit. Die Sabbati ad sanctam Mariam, itemque donum obtulit. Dominico die processit ad sanctum Petrum cum exercitu suo. Omnes cum cereis exierunt obviani ei [Ibid. om. ex. obv. ei], et obtulit supra altare illius pallium auro textile, et celebratae sunt missae. Iterum Sabbati die venit imperator ad Lateranas, et lavit se [Al., latus], et ibidem pransit in basilica Iuli [Cod. Luc., Vigilii]. Item Dominico die fuit statio ad sanctum Petrum, et post missas celebratas, valefecerunt sibi invicem imperator et pontifex, duodecim dies in civitate Romana perseverans.

fideliter) mutatis verbis annexuit. Id quod a Græcis et Latinis simul animadversum fuit decima tertia actione sentæ synodi; ibidem hæc relege. Sg. BIN.

(a) Per eosdem missos directi Constan*s beato Petro Evangelia aurea cum gemmis*, etc. Imperator callidus huc dona obtulit Ecclesiae, ut se catholicum et cum Romana Ecclesia communione conjunctum esse fingeret; idque propterea, ut sibi conciliaret Romauum populum, Iohannes Occidentem, quem a se tanquam ab heretico et persecutore aversum esse sciebat. Ex eo quod Vitalianus pontifex munera Ecclesiae oblata acceptari, probabile videtur quod una cum muneribus oriihodoxae fidei professionem emiserit, cum aliquoquin oblationes ab hereticis factas Ecclesia recusare consueverit (Baron., anno 655, num. 2, 3 et 4). Id.

(b) *Hujus temporibus Constans venit Romam.* Anno pontificatus Vitaliani 9, Constantis imperii 22, Christi natii 663, ut patet ex Paulo Diacono, lib. v, cap. 6, 7, 11. Id.

(c) Occurrit ei obviam apostolicus cum clero suo. Imperator, qui post sanctum Martinum relegatum germanum fratrem occiderat, secundum rigorem cannonum non illa humanitate acceptandus, sed potius ab omnibus ecclesiarum aditu arcedus fuisset, si non cum imperatore reconciliato, et ad unionem Ecclesiae reducto, totius orientalis schismatis Ecclesiae unionem futuram pontifex sperasset; quod deinceps vere factum esse, ex iis patebit que intra de successore eius filio Constantino Pogonato dice-

A Omnia quæ erant in ære ad ornatum civitatis depo-
suit, sed et ecclesiam beatæ Mariæ ad Martyres, quam
de regulis [*Ibid.*, tegulis] æreis erat coeperta, dis-
cooperuit, et in regiam urbem, cum aliis diversis
quæ deposuerat, direxit. Et postmodum secunda
feria egressus de civitate Romana, reversus est N-a-
poli. Inde terreno itinere [Al., mari Thyrreno]
perrexit Rhegium, ingressus Siciliam per inductionem
7. Et habitavit in civitate Syracusana, et talem af-
flictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel
possessoribus provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Afri-
cae, Sardiniae, per diagrapha, seu capita, atque nau-
ticationes per annos plurimos, quales a seculo nau-
quam fuerant, ut etiam uxores a maritis, vel filios
a patre [Al., a parentibus] separarent [*Cod. Luc.*,
separarentur], et alia multa inaudita perpeccati sunt,
ut aliquic spes vitæ non reimaneret, sed et vasa ca-
erata, vel cimelia sanctorum Dei ecclesiaram tollen-
tes nihil dimiserunt. (d) Et postmodum 15 die men-
sis Julii per 11 [*Cod. Luc.*, 12] inductionem prædi-
ctus imperator in balneo occidus est. (e) Et non post
multum temporis antedictus sanctissimus vir vitam
flivit. Fecit autem ordinaciones quatuor, presbiteros
viginti duos, diaconum unum, episcopos per di-
versa loca nonaginta septem. Qui etiam sepultus est
ad beatum Petrum apostolum sub die sexto Kalen-
das Februarii, et cessavit episcopatus mensæ duos,
dies xiii.

mus (Baron., ann. 663, num. 4 et 5). ID.

(d) *Et postmodum die 15 Iulii, indictione 11, in balneis occisus est.* Anno imperii sui 27, Christi nativitatis 668. Scribunt de eo Theophanes in Annalibus, et Cedrenus in Compendio, quod anno decimo octavo sui imperii Theodosium fratrem germanum discounatum sacram interfecerit; qui post mortem frequenter apparens habitu diaconi poculum sanguine plenum ei porrexerit, et dixerit: Bibe, frater. Cujus visionis acerbitate virtus abierit in Siciliam. Post occisum Constantem, rebellione quorundam, Mezentius quidam imperium invadit. Constantinus Paganatus (ideo sic nominatus, quod Byzantio solvens, tenera adhuc lanugine fuisse, et e Sicilia promissam barbam, ut Zonaras ait, retulisset) Vitaliani papae suppeditis fretus, expulso tyranno, parenti succedit. Quia de causa rogavit eum pontifex sanctissimus, ut qui auxilio Dei vici set tyrannos, jam etiam superaret haereticos Ecclesiam Dei acerrime infestantes. Detulit imperator precibus Vitaliani hoc in primis, ut quoadassus motus bellorum ingruentum componerentur, res haereticorum silentio sopirentur (Vide Baron., ann. 668, num. 1 et 2). In-

(e) *Ei non post multum temporis antedictus tibi sentiessimus vitam finivit. Anno Christi 669 [671, 27 Jan.] qui est Constantini Pogonati imperatoris annus 2. In Graecoru[m] sacra diptycha relatum Theodorus Constantinopolitanus episcopus Monotheletus inscio et invito imperatore expunxit, ut constat ex epistola Constantini ad Domum papalem.*

VITALIANI PAPÆ EPISTOLÆ.

[Ex Mansi, lib I.]

EPISTOLA PRIMA.

AD PAULUM ARCHIEPISCOPUM CRETENSEM.

Arguit eum quod Lappæ episcopum injuste damnaverit, et ad sedem apostolicam provocantem non dimiserit. Dictum episcopum pristino honori restituens, quæ contra illum acta fuerant declarat.

Vitianus episcopus servus servorum Dei Paulus
archiepiscopo Cretensi.

Decimo nono die mensis Decembris praesentis anno
indictionis Joannes episcopus Lappæ urbis intra basilicam venerabilem beati principis apostolorum Petri nobis obtulit petitionem, per quam nos obcaecato postulavit, atque conjuravit per terriblem, iniquissimum, adventum magni Dei atque Salvatoris nostri Iesu Christi, ut secundum sacratissimos canones, institu-

Iaque sanctorum Patrum ejus causa meritum requiri ceteremus, et sententiam promulgaremus. Obtulit illico et sententiam apud tuam fraternitatem consecutam subscriptamque ejus eorumque episcoporum manibus. Igitur post aliquos dies ad ejus preces coacervati contum in hac urbe Romana antistitium fecimus, ut nobiscum considentes et petitio ejusdem episcopi, et acta sacerdotaliter cognoscerentur. Dum ergo esset in hac Romana urbe congregata eadem synodus episcoporum pro hujusmodi negotio audiendo vel faciendo, statim nobis nuntiata sunt ejusdem exemplaria actionis, a tua fraternitate directa; quæ suscipientes atque conferentes iuvicem, ita iuvenimus contineri in verbis et sensibus, sicut ea quæ nobis præstatis episcopus obtulerat, subscripta manu episcoporum, et tua dilectionis. Quam obrem admirati sumus, quia per summum clericum hanc vobis minime direxerit. Si enim forsitan tempus hoc prohibuit incongruum, cur absque suo scripto hanc usque nos minime direxit. Cumque recensita esset sententia coram nostris fratribus episcopis, visum nobis eisque est, quod non secundum timorem Dei neque secundum instituta Patrum, sacrosque canones, ejusdem Joannis antistitis Lappæ est causa cognita et terminata, vel penalibus submissa ejus persona. Propterea non leviter contristati sumus, maxime quia et sub custodia missus est idem Joannes antistes Lappæ diebus aliquot, et exinde adducetur in secretarium tuæ fraternitatis, ut quod volles, inquit, loqueretur, ac rursus sub custodia ducebatur ad clausuram, sicut habet confessio defensoris tuae dilectionis in sententia ab eo facta; ius super et horribatur contra canonum jussa, contra que legum instituta existens, ut daret fidei iussorem. Deinde oportebat tuam fraternitatem secundum canonom vigorem, tempore quo se petit ad nos venire, cum absolvere tuis litteris: quem non solum noluisti canonice absolvere ad principis apostolorum limina, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens: Quia non competenter quaris. Quae ergo sancti sanxerunt Patres, indecentia sunt? An placentia tibi decentia sunt? Igitur prefatum Joannem antistitem aequo [Ed. Rom. atque] inculpabilem reperientes, juxta textum sententiae a te nobis dicere, socios nobiscum cum episcopis ad missarum solemnia in ecclesiis Dei procedere. Itaque statuimus atque firmamus per hujus nostræ præceptionis auctoritatem, omnia quæ a te itaque synodo contra canonum instituta contraque legum decreta gesta consecutave sunt, vel sententiam promulgatam adversus eum, inania et vacua esse; sed quidquid claruerit eum damnis datum, ejusdemque ecclesiam a quoquam, ei tua dilectio faciat reddi, per omnia conservans eum absque damno. Denominatum enim Joannem, ut ipse innocentem existentem, cum præsentis nostra præceptione absolvimus hinc, ut sicut ceteri tuae dilectionis episcopi, et is sue ecclesias utilitate cum Dei peragere timore, sacrarumque regularum instituere debeat morem. Oportebat denique,

A dilectissime fratre, oportebat nos similia similibus retribuere. Sed haec magis per ignorantiam opinamur gesta esse, quam per calliditatem. Propterea quæ præcipimus tibi secundum Deum, et propter dominum, inquit synodo, stude illico peragere, ne cogatur non misericorditer, sed secundum virtutem sacratissimorum canonum conversari. Scriptum namque est: Dominus inquit: Petre, rogavi pro te, ut non desiceret fides tua, et tu aliquando contorsus confirmas fratres tuos. Et rursum: Quodcumque ligaveris, Petre, in terra, erit ligatum et in celo, et quodcumque solveris in terra, erit solutum et in celo. Postquam vero nostram præceptionem tua dilectio relegerit, hanc præsenti portatori Joannis episcopi nimirum reddit pro sui ejusdemque ecclesiae munitione. Data B die vi Kalendas Septembrias, Indictione 11.

EPISTOLA II.

AD VAANUM CUBICULARIUM IMPERATORIS.

Cum Joannes Lappæ episcopus contra canones fuerit condemnatus, cupit ut ejus opera sue Ecclesie restituatur.

Vitalianus Vaano cubiculario et imperiali charulario.

Semper celsitudo vestra piis hominibus prebeat concursum, semperque irreprehensibiliter viventibus tribuit libenter opem. Ideoque conguum prævidimus, per præsentia nostra scripta, Joannem antistitem ecclesie Lappensis, situm in insula Creta, ei in omnibus commendare, quatenus divina ope prævia, ejusque suffulsa suffragio, valeat ad sanctam celebriter remeare ecclesiam. Per Septembrem enim mensem præsentem, 11 indictione, in hac Romana urbe ad apostolorum nostri culminis protectorum limina veniens, obtulit nobis petitionem, per quam suppliciter precatus est nos, ut ejus causæ meritum cognosentes, canonice terminaremus. Obtulit demique nobis et sententiam, quam promulgavit ejus metropolitanus cum suis episcopis adversus eundem Joannem, volens eum ostendere reprehensibilem, per quam eum contra canonum decreta penalibus submisit. Cuius exemplar et idem ejus metropolitanus nobis dixit. Propterea facientes congregari episcopos in hac urbe, ejus causa est cognita, relecta videlicet petitione ejus. Et præfata sententia ab eodem metropolitano ejus nobis directa, visum nobis est,

D non secundum sacros canones eamdem eisdem sententiam promulgatam. Ideoque eam inanem atque vacuam statuimus fore, decernentes eundem Joannem innocentem existere, et absque aliqua culpa eam ab ejus metropolita querimur sublisse; quem merito absolvimus ad suam ecclesiam regredi, scribentes ejus sapienti nominato metropolitæ, ut que per simplicitatem egerit in ejus personam contra canonum decretis, essent vacua et inania. Eundem itaque Joannem (ut dictum est) antistitem, vestras eximias charitati per has nostras litteras commendantes, hinc absolvimus, ad vestram nimirum ambulaturum vestigia; et ut exinde rursus cum suis scriptis eum absolvere festinet, quæsumus, ad suam ecclesiam; commendantes eum, qui-

bus præviderit, ut illæsus debeat esse. Profecto enim A tem, esse inanem et vacuam, absolventes eum ad suam Ecclesiam remeare cum nostra præceptione ad eundem ejus metropolitam facta. Ideoque eo illic ad tuam fraternitatem se conjungente, ei ita concurrit, ut cum litteris commendatitiis domini excellēsimi Vazni filii nostri imperialis cubiculari et chartrarii, ad suam Ecclesiam prospere revertatur. Viva enim voce pro sua causa subtiliter tuæ fraternitatil, dum ab ea requisitus fuerit, profecto indicabit, ostendens ei exemplar præcepti nostri, ad Cretensem metropolitam directi. Præterea et Silvius tibi intimandum omnia prædicantes [At., intimabit omnia prædicta] ne modum transgredi litterarum cerneremur.

DATA VI KAL. FEBR. 11.

AD PAULUM EPISCOPUM CRETENSEM.

Ut episcopo Lappæ occupatas ecclesiæ restitutæ; diaconum, qui uxorem duxit, et in duabus militat ecclesiæ, corrigat; tum a se Eulampium, qui male audiebat, dimittat.

Vitalianus Paulo episcopo Cretensi.

Ad cognitionem tuæ dilectionis congruum prædimus producere, eo quod Joannes episcopus Lappensis ecclesiæ nobis suggesterit, asserens ejus parochiæ pertinentia monasteria, unum quod appellabatur Palea, et alterum quod vocatur Arsilii, a tua Ecclesia esse invasa. Ideoque, si ita est, hortamur tuam charissimam fraternitatem, ut ei secundum terminos sanctorum canonum reddi faciat, quia unicuique quod justum est volumus conservari, maxime a nostris fratribus. Cognovimus denique, quod quidam diaconus, nomine Joannes, postquam consecratus est minister, accepisset uxorem; et non solum hoc, sed et in duabus ecclesiæ militet. Ideoque, si ita est, hoc tua dilectissima fraternitas pro Dei amore corrigat, ne de nudo hujusmodi nefas proveniat ad instar male viventium. Deinde cognovimus, quod quemdam curialem, nomine Eulampium, habeat quasi consiliarium. Non enim, ut nobis suggestum est, eum constat esse bona vita. Ille enim quotidie, ut fertur, inter fratres zizania seminat, ut de eorum discordia marsupium impletat. Quamobrem, si ita est, hortamur tuam fraternitatem, eum a se projicere, ut ejus opinio coram Deo et hominibus floreat. Data ut supra.

EPISTOLA IV.

AD GEORGIUM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

Ut Joanni episcopo Lappensi fareat.

Vitalianus Georgio episcopo Syracusano.

Gesta, sive sententiam a tua fraternitate directam, dilectissimo filio nostro Gaudentio primicerio scribente, eam sibi ab antistite Cretensis insulæ transmissam, pro causa episcopi Lappensis Ecclesiæ, suscepimus; scribebentes ei quamobrem admirati suuus cur ipse Cretensis antistes nobis aut per suum clericum hanc minime direxerit, aut per sua scripta non indicaverit que erant necessaria. Præfatus enim Joannes Lappensis Ecclesiæ, hujusmodi sententiam manus ejus metropolitæ episcoporumque subscripsit, cum sua nobis obtulit petitione, postulans sue causæ meritum canonice requiri. Cujus precibus moti, pro tali re in hac urbe fecimus congregari synodum, ut cognosceretur hujusmodi negotium. Cumque esset congregata, relecta est nimis petitiō Joannis præsulī, ac sententia a tua directa fraternitate; quibus nobis eisque visum est non secundum sacratissimos canones, neque secundum instituta Patrum, esse eadem gesta promulgata adversus præminutum Lappensis Ecclesiæ episcopum. Idecireo decrevimus, eam, per nostræ præceptionis auctorita-

A tem, esse inanem et vacuam, absolventes eum ad suam Ecclesiam remeare cum nostra præceptione ad eundem ejus metropolitam facta. Ideoque eo illic ad tuam fraternitatem se conjungente, ei ita concurrit, ut cum litteris commendatitiis domini excellēsimi Vazni filii nostri imperialis cubiculari et chartrarii, ad suam Ecclesiam prospere revertatur. Viva enim voce pro sua causa subtiliter tuæ fraternitatil, dum ab ea requisitus fuerit, profecto indicabit, ostendens ei exemplar præcepti nostri, ad Cretensem metropolitam directi. Præterea et Silvius tibi intimandum omnia prædicantes [At., intimabit omnia prædicta] ne modum transgredi litterarum cerneremur.

EPISTOLA V.

AD OSWI REGEM NORDANUMBORUM, EJUS DE PASCHATE JUDICIJ EXPETENTEM.

Gratulatur gentes sui regni ad fidem conversas, utque pascha caterasque apostolorum tradiciones obseruant, totamque insulam Deo dicari curet, et reliquias sanctorum ei mittit.

Domino excellentissimo filio Oswio regi Saxonum Vitalianus episcopus servus servorum Dei.

Desiderabiles litteras excellentiae vestrae suscepimus, quas relegentes, cognovimus ejus piissimam devotionem, ferventissimumque amorem quem habet propter beatam vitam. Et quia dextra Domini protégente ad veram et apostolicam fidem sit conversus, sperans, sicut in sua gente regnat, ita et cum Christo in futuro conregnare. Benedicta igitur gens, que tales sapientissimum et Dei cultorem promeruit habere regem. Quia non solum ipse Dei cultor existit, sed etiam omnes subjectos suos meditatur die nocte ad fidem catholicam atque apostolicam pro sua anima redemptione converti. Quis enim audiens haec suavia non lætetur? Quis non exsultet et gaudeat in his [Rom add. vii] operibus? Quia et gens vestra Christo omnipotenti Deo credit, secundum divinorum prophetarum voces, sicut scriptum est in Isaia: In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsorum gentes deprecabuntur (Isai. xi). Et iterum: Audite, insulæ, et attendite, populi, de longe (Isai. XLIX).

D post paululum: Parum, inquit, est ut mihi sis seruus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel converendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ (Ibid.). Et rursum: Reges videbunt et consurgent principes, et adorabunt. Et post pulsum: Dedi te in fædus populi, ut suscitarès terram et possideres hereditates dissipatas, et dices his qui vincisti sunt: Exite; et his qui in tenebris: Revelamini. Et rursum: Ego dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi, et dedi te in luce gentium, et in fædus populi, ut aperires oculos circumferum, et educeres de conclusione vinculum de domo carceris sedentem in tenebris (Isai. XLII). Ecce, excellentissime fili, quam luce clarius es, non solum de vobis, sed etiam de omnibus prophetarum gentibus, quod sicut creditur in Christum omnium conditorem. Quamobrem oportet vestram celsitudinem, ut pote membrum existens Christi, in omnibus piaam regulam

sequi perenniter principia apostolorum, sive in pascha celebrando, sive in omnibus que tradiderunt sancti apostoli Petrus et Paulus, quia ut duo luminaria cœli illuminant mundum, sic doctrina eorum corda hominum quotidie illustrat creditum.

Et post nonnulla, quibus de celebrando per orbem totum uno vero Pascha loquitur: Hominem denique, angustit, docibilem, et in omnibus ornatum antistitem secundum vestrorum scriptorū tenorem minime valuimus nunc reperire, pro longinuitate itineris. Profecto enim dum bujusmodi apta reperta persona fuerit, cum instructum ad vestram dirigeamus patriam, ut ipse et viva voce, et per divina oracula, omnem suumctitudinem ex omni vestra insula cum divino nutu eradicet.

Munusentia a vestra celsitudine beato principi apostolorum directa, pro aeterna ejus memoria suscepimus, gratiasque ei agimus, ac pro ejus incolumente jngiter Deum deprecamur cum Christi clero. Itaque qui haec obtulit munera de hac subtrahens est luce, situsque ad limina apostolorum, pro quo valde annius contristati, cum hic esset defunctus. Verumtamen gerulis harum nostrarum litterarum vestris missis, et beneficia sanctorum martyrum, hoc est, reliquias beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum martyrum Laurentii, Joannis et Pauli, et Gregorii, atque Pancratii eis fecimus dari, vestrae excellentiae profecto omnes contradendas.

Nani et conjugi vestris, nostrae spirituali illi, distinximus per prefatos gerullos crucem, clavem auream habentem de sacraissimis vinclis beatorum apostolorum Petri et Pauli. De cuius pio studio cognoverentes, tamen cuncta sedes apostolica una nobiscum latitabunt, quantum ejus pia opera coram Deo flagrant et vernant. Festinat igitur, quæsumus, vestra celsitudo, ut opiamus, totam insulam suam Deo Christo dicare. Habet enim profecto protectorem humani generis Redemptorem. Dominum nostrum Jesum Christum, qui ei cuncta prospéra impartiens, ut novum Christi populum coacervet, catholicam ibi et apostolicam constitucus fidem. Scriptum est enim: Quærite prius regnum Dei, ac justitiam ejus, et haec omnia adiungentur vobis (Matth. vi). Nimirum enim querit et impetrabit, et ei omnes sue insule (ut opiamus) subdendur. Paterno itaque affectu salutantes vestram excellentiam, divinam jugiter preciamur clementiam, quæ vos vestrosque omnes in omnibus bonis operibus auxiliari dignetur, ut cum Christo in futuro regnetis æcclio. Incolumentem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EPISTOLA VI.

PER NOMINE VITALIANI PAPÆ AD MONACHOS SICULOS.

Vitalianus episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis sub patris Benedicti et Placidi dominio in Sicilia constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Ad huc nos superna Clementia in orbe terrarum præfecit rectores atque custodes, ut dispersa congregare, et congregata conservare, et destructa re-

A stituere summopere procuremus. Quapropter quia civitates, castra, monasteria, possessiones, et villas beato Benedicto in Sicilia subditas paganorum incurssionibus desolatas esse audivimus, supra modum delemus, omnipotenti que Deo super hoc gratias agimus quæ ideo temporaliter hic flagellari irrogat, ne in æternum puniat. Unde vos, charissimi filii, a fletu et moerore cessare invenemus, et his nostris filiis, quos de Cassinensi congregatione ad monasteria restauranda, et civitates, castra, possessiones et villas recuperandas in Siciliam dirigere studuimus, ut specialibus dominis deservire cureatis; ex parte beati Benedicti et nostra præcipientes, ut in restauratione monasterii et possessionum illos adjuvare studeatis, eceptumque laborem ad effectum perducere summopere procureatis. Nos enim et vos, et civitates, castra, possessiones, et villas quas Tertullus patricius beato patri Benedicto in Sicilia dedit, defendere, adjuvare, et manu tenere parati sumus. Omnipotens Deus sua vos gratia benedicat, atque a cunctis adversis eripiat. Valete.

EPISTOLA VII.

AD FLORIACENSES.

Vitalianus episcopus, servus servorum Dei, eremitus in Floriacensi cœnobio commorantibus, eorumque Cynocephalo Mumulo, non abbati, quod dignum et justum est.

C Audivimus, quod sine gravi dolore loqui non possumus, quemdam vestri cœnobi gyrovagum, Aygnolum nomine, suggestione diabolica Casinum venisse, et effracto beati Benedicti sepulcro, ejus reliquias diminuisse. De quo facto gravi animadversione vos et monasterium vestrum plectendos cum eodem gyrovago judicavimus, nisi et vos et locum vestrum paterno affectu diligeremus. Facilius enim pateremur Casinensis cœnobii possessiones in prædam et di-reptionem dari, quam sancti Patris Benedicti lipsanum ab aliquo violari. Ob quam rem vestrae universitati ex parte Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum, et septem universalium conciliorum præcipiendo mandamus, ut ad cor redeentes, et sanctis apostolis Petro et Paulo et beato Benedicto satisfacientes, ad nos cum iam dictis sacrosanctis reliquiis D veniatis, et de perpetua uequitia cum iam dictis sacrilegiis veniam postuletis. Si autem vos, et locum vestrum et eumdem sacrilegium cum manipulatoribus suis a sanctæ matris Ecclesie gremio separantes, perpetuae et indisolubilis maledictionis et anathematis vinculo innodamus, et a regno Dei alienamus, et cum diabolo, et ejus atrocissimis pompiis, et Iuda, Domini nostri Jesu Christi traditore, æterno supplicio aternoque maledictioni deputamus. Pari etiam innodationis vinculo obligetur, quicumque vos et locum vestrum solvere præsupserit a nexu excommunicationis absque digno emendationis et pœnitentiae fructu. Datum quinto Kal. Aug.

EPISTOLA VIII.

CLODOVEO FRANCORUM REGI.

Vitalianus episcopus, servus servorum Dei, Clodoveo regi Francorum, si filius obedientiae fuerit, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Sancti et magni Nicæni concilii præcepta seculi, quæ jubent regularem epistolam per unamquamque provinciam mitti, ne bi qui abjiciuntur ab aliis recipiantur, serenitati vestrae notum facimus, Aurelienses et Cenomannenses, ac monasterium Floriacense cum omnibus sequacibus illorum a liminibus Ecclesie separatos, et indissolubili anathematis vinculo innodatos: quoniam ecclesiam sancti Benedicti ejusque sepulcrum in castro Casino situm violare conati sunt, et sanctas reliquias post nostrum interdictum retinere conantur, contra apostolicæ sedis statuta, et interdictum, et totius sanctæ synodi sententiam, quam, missis per singulas provincias litteris, nota in vobis omnibus fecimus. Excommunicamus igitur pro superius dictis reliquiis omnes jam dictos, et falsum abbatem Strumbolum, non Mumolum, et Agygulsum filium Satanae cum suis fautoribus, donec sanctas reliquias ad urbem Romanam reducant, et de perpetrata iniquitia, secundum statuta canonum, poenitentiam sumant. Quapropter vestram a Deo conservandam clementiam obuixa prece rogamus, et ex Dei omnipotenti, et apostolorum Petri et Pauli, et Benedicti parte præcipiuus, ut iam dictos latrones ad justitiam sedis apostolicæ facienda constringatis. Sin autem et vos et illos perpetuae maledictionis anathemate damnamus. Datum die Kalendorum Novembrium.

EPISTOLA IX.

AD OMNES EPISCOPOS.

Vitalianus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus et filiis, archiepiscopis, episcopis, et abbatibus in Hispania, Baetica, Lusitania, Gallæcia, Aquitania, Britannia, Germania, Gallia Belgica, Gallia Togata, Gallia Cisalpina, Gallia Transalpina, et Gallia Transcampana constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Vestræ universitati per præsentia scripta notum esse volumus Mumolum haeticum, et Floriacenses, olim quidem monachos, nunc vero Sarabaitas, gyrovagos, ac primogenitos Satanae, ea quæ carnis sunt sequi, et tenere doctrinam Balaam, filii Beor; furtæ, latrocinia, commissationes, et ebrietates, et lenocinia diligere, et in violatione sepulcrorum operam dare. Ob quam rem scitote illos indissolubili anathematis vinculo esse damnatos, et a regno Dei alienatos, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, et Juda Jesu Christi Domini nostri traditore esse sociatos, nisi forte patris Benedicti, ejusque sororis reliquias, quas nequierer abstulerunt, in nostram præsentiam, Casinum reportandas, Romanam reduxerint, et de tanta iniquitia et sacrilegio dignam poenitentiam gesserint. Quapropter ex parte Dei omni-

A potentis, ex apostolorum Petri et Pauli vestra universitati mandamus, ut Floriacenses, Aurelienses, et Cenomannenses, pro excommunicatis habeatis, et illos ante nostram præsentiam cum sanctis reliquis venire cogatis. Quo autem termino ante nos venire debeant, vestris litteris insinuate. Quidquid vero exinde statueritis, dilecti filii nostri Clodovei regi erit, his etiam renentibus, adimplere. Datum Roma xvii Kal. Augosti.

EPISTOLA X.

AD THEODORUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM.

Primaum Ecclesiæ Cantuariensi asserit.

Dilectissimo fratri Theodoro, Vitalianus episcopus servus servorum Dei.

B Inter plurima quæ nobis per vestras syllabas intimari jussisti, cognovimus etiam desiderium vestrum pro confirmatione dioecesis, que tunc subjecti ditioni, quia in omnibus ex nostro apostolico successoritate privilegio splendescere desideras. Nos vero vestre petitioni annuentes, quia congruit pastorali sollicitudine, circa ecclesias Dei quæ a præcis temporibus ab hac apostolica sede statuta intelligimus, irrefragabili ratione volumus, ut sicut a nobis et a nostris successoribus perpetua stabilitate mananter. Unde nobis visum est te exhortari, ac in præsenti commendare tuæ sagacissimæ sanctitati omnes Ecclesiæ in insula Britannie positas. Omnia ergo quæ a sancto Gregorio predecessor nostro, Augustino syncello suo, statuta sunt atque firmata, vel etiam per sacrum usum pallii concessa, nos tibi in ævum concedimus, et Doroverniam civitatem, ubi primitus per revelationem Jesu Christi Domini nostri fides catholica, secundum institutionem sacrum canonum suscepta est, babeto. Ex auctoritate autem beati Petri apostolorum principis, cui a Domino nostro potestas data est ligandi atque solvendi in celo et in terra, nos, licet immeriti, ejusdem beati Petri clavigeri regni colorum vicem tenentes, tibi, Theodore, tuisque successoribus, sicuti ab olitano temporibus fuerunt condonata, ita in perpetuum in ipsa tua metropolitana sede, quæ sita est in civitate Dorovernia, immutata concedimus detinenda. Si quis vero, quod non optamus, contra banc nostre apostolici definitionis privilegii auctoritatem venire tentaverit, siquidem episcopus, vel presbyter, aut diaconus, fuerit, ex hac apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, ut episcopus ordine praesulatus careat, et presbyter vel diaconus se neveriat a suis ordinibus dejectos. Ex numero autem laicorum, tam ex regibus, quam principibus, sive magna vel parva persona fuerit, sciat se alienum a participacione corporis Domini nostri Jesu Christi. Hanc autem privilegii pagiam suffulsum auctoritate Leati Petri apostolorum principis, cuius ministerio fungimur, tibi, Theodore, tuisque successoribus in perpetuum obtinendam delegamus. Deus te incolamem custodiet, dilectissime frater.

^a Ex Wilkins Conc. Brit., tom. I, pag. 41.

EPISTOLA XI.

Vitalianus episcopus servus servorum Dei reverendiss. domino charissimo Beneventanæ Ecclesie episcopo, et in eodem venerabili episcopio in perpetuum.

Cum sicut apostolicæ dignitatis aperte in hoc divini prefectus nlore dignoscatur præfulgere, et in exercendis Dei laudib., seu impensius studeat laboris exhibere certamen, ob hoc debita nos ejusdem apostolicæ pastoralis compulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum locorum promulgari, et apostolicæ institutionis censura confirmari. Igitur quis postulasti a nobis quatenus reverendissima Beneventanensis Ecclesia, Deo favente, privilegiis reverendissimæ sedis apostolicæ decoraretur, idcirco piis tuis desideriis faventes, ac nostra auctoritate id quod exposcit effectus, mancipamus, concedentes tibi, tuæque præfatae reverendissimæ Beneventanensi Ecclesiæ, id est Bibinum, Asculum, Larinum, et eccle iam sancti Michaelis archangeli in Gargano, pariterque Sipontinam ecclesiam, quæ in magna inopia et paupertate esse videtur, et absque cultoribus et ecclesiasticis officiis nunc certinatur esse depravata, cum omnibus quidem eorum pertinentiis, et omnibus prædiis, cum ecclesiis, familiis utriusque sexus, et massis, totaque loca ditioni antiquæ possessa tuæ sanctimoniaræ, successoribusque tuis concedimus hæc omnia dominanda et possidenda, atque canonice disponenda, cum omnibus suis ubique pertinentiis, sive sint in præfatis civitatibus, sive in quibuscumque castris consistente, siquidem insuper apostolica censura sub divini judicij obtestantibus, et validis, atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam success-

A sorum uestrorum, vel alicujus dignitatis potestate prædictus reverendissimæ Beneventanæ Eccl. aliquam vim facere, vel in cunctis jam supradictis ecclesiis, vel de iis, quæ perinere videntur, quoquo modo auferre, aut alienare, vel ejus minuere terminos, ei nec quilibet malitium, aut jacturæ molestiam in eisdem inferre quocunque tempore, nec licentia sit, ut dictum est, ex earum pertinentiis aliquam magnæ parvæque personæ auferre; sed omnia superius taxata sub potestate et dispositione Beneventani episcopatus perpetuo consistant, ut profecto juxta id quod a nobis statutum est eadem venerabilis reverendissima Beneventanensis ecclesia apostolicis constitutionibus, aut privilegiis consistens, ornata, inconcussa dotata permaneat. Si quis autem (quod non optatur) nefario auso præsumperit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate dictæ Ecclesiæ Beneventanæ statuta sunt refragare, aut in quoquam transgredi, sciat anathematis vinculo iudicatum esse, et cum Juda Domini traditore, et cum omnibus impiis æterni incendi supplicio condemnatum; at vero qui pio intuitu observator, et in omnibus extiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam a misericordiosissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vita æterna particeps effici mereatur. Scriptum per manum Adriani strimarii reverendissimæ Romanæ Ecclesiæ in mense Februario, indict. 11. Bene valete.

Datum vii Kal. Febr. per manum Anastasi primicerii, defensoris reverendissimæ sedis apostolicæ, anno Deo propilio pontificatus dom. Vitaliaui summi pontificis, et universalis pape, in sacratissima sebe de beati Petri apostoli, primo, indict. 11.

ANNO DOMINI DCLXX.

JONAS ABBAS ELNONENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Fabricio, Biblioth. mediæ et infimæ Latinitatis.)

Jonas, abbas, sancti Columbani et discipulorum ejus D. Attale et Eustasii discipulus, idem qui Hibernus ab aliis, vel Scotus, Italusve, aut Bobiensis, Lirinensis vel Luxoviensis appellatur, clarus circa an. 664. Scripsit:

Vitam sancti Columbani, quæ interpolata apud Surium 21 Novembr.; sincerior tom. III Opp. Bedæ, pag. 199, et in Vincentii Barralis Chronologia sanctorum Lirinensem, pag. 83; emendatior denique in Mabillonii sœc. II Bened., pag. 5; Gallice quoque in Arnaldi Andilli Vitis sanctor., pag. 296.

Vitam sancti Attalæ abbatis, quæ itidem edita inter Bedæ Opera, tom. 3, pag. 222, et apud Surium 10 Martii, Barralimque, pag. 97, et in Actis sanctorum, tom. II Martii, pag. 43, sincerior ex quatuor ms. et apud Mabillonum sœc. II Bened., pag. 160.

Vitam sancti Eustasii abbatis Luxoviensis an. 627 defuncti ex ipsiusmet Itinerario, itidem inter Bedæ Opera, tom. III, pag. 243, et apud Surium, 29 Mart., Mabillonum sœc. II Bened., pag. 115, et in Actis sanctorum, tom. III Martii, pag. 786, cum Henschenii notis.